# LEONARDI MALAESPINAE, E DIUI SERUATORIS FAMILIA CANONICI ORATIO, IN...

Leonardo Malaspina

Digitized by Google

## CAESARI FERRANTIS F. GONZAGAE MELFITENSIVM

*Principi, & Aræ Iani Duci.*

Leonardus Malaſpina.

S. P. D.

FRANCISCVM Card. fratrem tuum, valde dilexi, aut potius valde colui. uelléemq; fortuna tuliſſet, ut hanc ipſam meám beneuolentiam, viuenti citius quám mortuò, inſigni aliquo officio probare potuiſſem. Sed quando ſecus accidit, pietati meæ tamen obſequi volui, orationémq: habui in funere ipſius., ſi non qualem oportuit, certe qualem meus me dolor & angor habere permiſit. vt, ſi qua cura eſt ijs, qui ex hac uita migrarunt, aut etiam ſi non eſt, humanarum rerum, tamen hoc extremum amicæ voluntatis pignus, a me haberet.

Hanc poſtea typis excuſam, tibi Princeps Clariſſime dicare volui, eam arbitratus fore non ingratam, quod & Franciſcum ſemper plurimi feceris, &. uirtutũ illius commemoratio, in tuam fratrũmq; tuorum, & omnino familiæ ueſtræ laudem ſplendorémq; redundet: quæ quamuis hac noſtra prædicatione non egeat, ſuis maiorùmq; tuorum rebus geſtis clara atq; illuſtris, damni tamen nihil fecerit, ſi ad ueterum gloriam, aliquid acceſſionis quotidie, nepotum induſtria fieri oſtenſum fuerit. Huic viſum eſt epiſtolas duas appingere, quis ego ab hinc triennium, eiuſdem Franciſi de obitu Herculis Card. & Hippolytæ ſororis, conſolandi partes ſuſcepi, quas nomine fratris tui Vincentij edere libuit, ne & ipſum meæ in ueſtram familiam obſeruantiæ expertem dimitterem. Quas tu Princeps Illuſtriſſ. ſi legeriſ, & locos quibus vſus ſum animaduerteris, aliquam doloris leuationem, niſi fallor inueneriſ.

# LEONARDI MALAESPINAE ORATIO,
## *In Funere Franciſci Card. Gonzagæ, dicta.*

*QVI hanc, inter ſolennia funerum, laudandi mortuos rationem primus inſtituit, is mihi uidetur, non tā illud ſpectaſſe, ut aliqua medicina aut certe leuatio, propinquorum dolori adhiberetur, quam ut debitus eorum uirtuti, ſiqua modo in ijs inſignis eluxißet, honos haberetur, & ad ſimilia facta, ciuium ſtudia incitarētur; cum intelligerent, uirorum fortium memoriam, etiam poſt fata celebrari, eſſeq; in honore ac pretio. nemo enim fere eſt paulo humanior, qui non hac cupiditate, natura impellente feratur, magisq; plerunque de futuri temporis exiſtimatione, quàm præſentis laboret. Atq. hoc quidem inſtitutum ſapientißimi hominis, ita probatum eſt deinceps atq; laudatum, ut nulli, modo aliquo præſtantis uirtutis documento edito e uita diſceſſerint, qui non hoc pietatis officio ornati fuerint: quod quidem, ſicut tributum eſt unquam bene merito, huic certe optimo adoleſcenti, principi nobilißimo, & Cardinali Sanctisſimo, cui hodierno die iuſta perſoluuntur, utique debetur: cuius omnis uita, ſic in ſtudio dignitatis uerſata eſt, ut pares habuerit paucos, ſuperiorem neminem. Atq; utinam illud uitæ curriculum, quod fere homini a natura eſt circumſcriptum, conficere potuißet: profecto, ſi ex anteacta uita conſequentis iudicium facere licet, hominem habuiſſet hæc ætas, omnibus numeris abſolutum, ac prope diuinum. Sed eheu miſeros nos: uix e carceribus emiſſus, aut certe parum progreſſus erat, cum in ipſo ſpatio, quod ille ſecunda omnium hominum acclamatione tenebat reuocatus, aut potius manu reprehenſus, triſte ſui deſideriū nobis reliquit. O ſpes fallaces, & exitus uerū ancipites: iuuenem lectisſimum, & ad omnia ſumma natum atq; factum, qui omne ſuum ſtudium ad gloriæ cupiditatem adiunxerat, lucis huius uſura tam cito orbatum, tam cito nobis ereptum? Sed non faciam, ut initio orationis meæ, dolorem meum exagitem, cuius acerbitate permotus, has orandi par-*

*ter, diu multumq; recuſaui; uerens, ut quantum mea me- fides ad dicendum hortaretur, tantum mæror impediret. Verum, quid agerem? non fuit illorum imperium defugiendum, quorum nutum intueor: nec mortuo uox mea deneganda, cui uiuenti, opera & induſtria præſto fuit. Dicam igitur ut potero: nec me illud terrebit, quid ſuſceperim, quid ue profitear cogitantem. Quemcunq; enim exitum habuerit oratio mea, belle atq; ut uolumus ceciderit: prope enim acceſſerit ad merita ipſius explicanda, præclare actum fuerit; noſq; laudē conſequemur. longe infra ſpem reſtiterit, hic tamen laudi illius cumulus acceſſerit, quod ea uirtutis magnitudine extiterit, quæ ſit omni commendatione ſuperior. Vos autem uiri nobiliſſimi, qui ad has exequias cohoneſtandas frequētes conueniſtis, quæſo adeſte animis, & mihi operam date.*

*Qui de ciuili facultate, deq; bonis his, quæ uitam beatam efficere exiſtimantur, accuratius diſputant, magni beneficij loco ponunt, ſiquis in ampla ciuitate, inq; familia illuſtri natus ſit: nanq; duo hæc ad uirtutem, in qua illi una, bene beateq; uiuendi rationem collocant, magnas oportunitates habere. raro enim quamuis excellens uirtus emergere, ſeq; in lucem uindicare poterit, quæ patriæ caligine demerſa atq; oppreſſa ſit: nobilitas contra, quæ in gentis alicuius ſpectata uirtute cernitur, ingentes ſtimulos ad honeſtatem, non ſolum ui ſeminis, qua fortes naſcuntur fortibus, ſed etiam maiorum recordatione admouet. Quod ueteres illi Romani, qui multa nobis uitæ inſtituta reliquerunt, animaduertentes, maiorum ſuorum imagines, in ædium ſuarum atrijs ac ueſtibulis habere uoluerunt; rati nepotum animos, quotidiano illo familiariq; aſpectu, ad conſimilia facta accenſum iri. fit enim plerunque, ut eadem uia laudem quæramus, qua noſtri adepti ſunt. Quare non iniuria illi ut diximus, magnum naturæ beneficium eſſe decreuerunt, in clara urbe, claraq; gente naſci: ſed tamen ita decreuerunt, ſi patriæ atq; natalium ſplendorem, liberalis educatio, & fructus utraq; digni conſequantur. nam generis dignitatem, quamuis illuſtrem ſpeciem uideatur ha-*

*bere*

*bere, re uera tamen, ſine hoc animi cultu, nudum nomen eſſe atq; inane, nec in ueræ claritatis rationem cadere. Hæc tria, in hoc quo de nunc uerba facimus principe illuſtriſſimo, eximia fuiſſe reperientur. Nam & ſummo loco natus eſt, & ſanctiſſima diſciplina, ad omnem humanitatem informatus: atq; his ita eſt uſus, ut illuſtrius magnanimitatis, prudentiæ, ſanctitatis, humanitatis exemplum habere, uix, aut ne uix quidem poßimus. Quæ quamquam notiora ſunt omnibus, quam ut noſtra celebratione indigeant, tamen quia cum ueſtra omnium laude iuncta ſunt, non uereor, ne non libenti animo accipiantur. Franciſcus igitur tametſi in Sicilia noſtri maris inſula opulentiſſima & ornatißima, quaſi peregre, in lucem editus eſt, quo tempore, uir ſummus pater eius, eam pro Rege teneret; ex hac tamen ciuitate, ortus ſui primordia duxit, inq; hac altus & educatus eſt. cuius ſi uetuſtatem ex annalium monumentis conquirere uelimus, ad heroica tempora accedere inueniemus, eamq; rerum ſcriptores, alium alio antiquiorem efficere. Quæ res, quantum dignitatis addat ciuitatibus, ex eo cognoſci poteſt, quod hac de originis antiquitate contentio, inter nobiliſſimos populos, magnis opibus ſæpe agitata, ad fabularum leuitatē uſq; progreſſa eſt; dum alij ſe ante lunam natos, alij autochthonas, hoc eſt, è terra quam incolerent, eſſe generatos contenderent: ſin potentiam illius atq; uirtutem ſpectemus, ſane fatebimur eā, nulli Italicarum cedere: ſæpeq; ciues illius, alienos fines ingreſſos, finitimorum urbes agrosq; occupaſſe, & aliquandiu tenuiſſe; ipſos ſuis ſedibus nunquam deturbatos aut dimotos: Et quoniam ad ciuitatum ſplendorem, plurimū acceſſionis ciuium mores atq; ingenia afferunt, an Athenæ illæ aureæ, unde lepores & humanitatis exempla petita ſunt, amabiliores fuerunt? Sed non eſt loci huius atq; temporis, in huius laudibus diutius commorari: reliqua pergamus. Ergo in hac ipſa, cum multæ ſint fuerintq; familiæ honeſtæ & amplæ, ex ea Franciſcus ſuſceptus eſt, quæ harum omnium caput ſit, principemq; locum obtineat:*

tineat:

Digitized by Google

tineat: cuius quanta ſit uirtus iam inde ab origine, quanta æquitas & moderatio, ex eo manifeſto perſpicitur, quod annos iam fere trecentos, quod haud ſcio an ulli familiæ contigerit, ſine ulla interpellatione regnet: atq; ita regnet, ut, quod monſtri inſtar eſt, nulla unquam plebis concitatio in ſuos principes, nulla ciuium ſeditio conflata ſit, nulla defectio. Qua familiæ laude, poteſt ne quidquam maius aut magnificentius cogitari? Iam uero, in tanto principium aut potius heroum numero, quos tot ſecula pepererunt, quo patre ortus eſt? quo patruo uſus? Altero imperatore noſtra patrumq; memoria ſummo atq; fortisſimo, & cum quouis antiquorum comparando: qui quamquam mihi hac una re, ſatis laudatus uidetur, quod Carolo V. Chriſtianorum Imperatori ſapientisſimo & inuictisſimo, carus probatusq; fuit, ſingularibusq; ab eo & nouis honoribus ornatus, & amplisſimis beneficijs auctus; tamen ſine hoc teſtimonio, multa illius bellicæ laudis trophæa, in Italia, Gallia, Germania, terra mariq; conſtituta, uirtutem tanti ducis teſtificantur. Patruus uero ipſius Hercules Cardinalis, quem ego, ut eius dignitas poſcit, honoris cauſa nomino; qui uir Deus immortalis & quantus fuit? quanta rerum omnium cognitione & uſu? quanta fide & religione? Vt enim multa eius omittam magna & ampla, non illud nobis graue teſtimonium dat, quod illi uni ante alios, eidemq; abſenti, Chriſtianæ Rep. ſumma commiſſa eſt? qua etiam in prouincia extremum ſpiritum edidit? Verum de ijs ego duobus uiris, diſsimilibus quidem in ſtudijs, ſed in ſuo utriſque clarisſimis, eo pauciora dico, quod res ab eis præclarisſimæ geſtæ, ingratisſima omnium gentium memoria fixæ, recentes adhuc uiuant, uicturæq; ſint claræ atq; illuſtres, multis & præclaris doctorum hominum monumentis, ad omnem memoriam commendata. Potuit ne igitur hic princeps, aut ciuitate lautiore, aut familia clariore, aut parentibus præſtantioribus naſci? Age uero, quod caput eſt, quo modo eſt educatus & eruditus? Num ſimiliter ut a Chirone Achilles, uenari, equitare, te-

lum

ĭum mittere, ſaltare, Citharam pulſare? Dij meliora. Maiores ad res, iam inde ab incunabulis deſtinatus fuit; continentiam, religionem, iuſtitiam, & ſiqua ſunt generis eiudem, quibus mens ad pietatem diuiniq; numinis cultum, ad honeſtumq; otium inſtituitur. Ergo, ut primum rationis uſum per ætatem habere potuit, a patre bellicis artibus diſtento, in patrui diſciplinam traditus eſt. Qui cum probe intelligeret uir prudentisſimus, natalium celebritatem, niſi animi ornamenta, hoc eſt, bonarum diſciplinarum præſidia accederent, parum dignitatis habere, poſt domeſticam inſtitutionem, nihil antiquius habuit, quam ut eum, ad prima loquendi initia perdiſcenda, Ferrariam mitteret, urbem tibi Mantua, non ſolum agri uicinitate, ſed etiam animis, & quod magni referebat eorum Ducem affinitate deuinctam.

Vbi quidem ilic, magnũ ſpecimen, nõ ſolũ ingenij quo plurimum ualebat, ſed etiã naturæ dedit: Et ut imago, ab egregio aliquo artifice linearum ductu atq; umbris informata, quæ quamuis abſoluta non dum ſit, qualis tamen ſit futura iam tum ſe oſtendit; ſic is, immaturam adhuc uirtutis indolem, quanta euaſura eſſet præſe tulit. Ergo rerum cognitione ætateq; robuſtior factus, Patauium ſe tranſtulit, quod ea in urbe rectarum artium ſtudia maxime florerent. Hic, cum alijs doctrinis in omni uarietate literarum enixe operam dedit, tum M. Antonio Genua, ætatis huius philoſophorum facile principe, familiarisſime eſt uſus, ſcholamq; illius maxime frequentauit, ea facultate delectatus, quæ multo eſt honeſtisſima, & homine libero dignisſima: cui tanto ſtudio annos aliquot, tantaq; uigilantia ſe dedidit, ut in ea excelleret, & quantum didiciſſet, nec eum nec patruum pæniteret.

Quo ſane tempore, non minorẽ humani animi & officioſi ſignificationem dedit, quam induſtriæ. Nam & ſi literis ita uteretur, ut nullum pene ſibi uacuum ab his tempus relinqueret, tamen nec condiſcipulorum, nec amicorum commodis unquam defuit. Quis enim congreſſum illius, quis facilitatem ſermonis deſiderauit? Qui hoc inſitum a natura atq; ingenitũ habuit, ut in iungendis amicitijs, nec quiſquã illo

ambitio-

ambitioſior, nec felicior eſſet. Id quod ille non ſolum officijs, quibus plurimum contendebat, ſed etiam oratione, & uultu illo ſuo familiari, conſequebatur, qui ad colligendas gratias quantum ualeat, uſu quotidiano quiſque intelligit. Hinc factum eſt, dum ibi fuit, ut domum illius, familiæ pene totæ, non modo philoſophorum, ſed etiam Iuriſperitorum frequentarent; abeuntem uero, lacrymis etiam proſecutæ fuerint. Siquidem his grauiorum artium inſtrumentis, ac ciuilibus inſtitutis excultus, in celeberrimum orbis terrarum theatrum, Romam uocatus eſt: ubi ingentis animi atq; excelſi iuuenis, ratus ſe campum nactum eſſe ſatis amplum, in quo uirtus ipſius excurrere & demonſtrari poſſet; ita ſe geſſit in omni genere officiorum, ea prudentia rebus moderatus eſt, ut in tanta ingeniorum ordinumq; uarietate, quantam urbs illa capit, æque omnibus gratus atq; iucundus fuerit: ipſi uero Pontifici Maximo ita probatus, ut ab ipſo, in ampliſſimum patrum conſcriptorum collegium cooptatus ſit. Neque hic mihi quiſquam occurrat, quod rerum imperitos dictitare audio, hoc totum affinitatis cuiuſdã coniunctioni adſcribendum eſſe. Fuit hoc quidem aliquid, ſed non in eo cuncta poſita ſunt: induſtriæ illius probitatiq; morum, maxima ex parte aſſignandum eſt. Enimuero, ut alia ſilentio inuoluam, hoc quanti faciendum eſt? in tanta urbis licentia, tanta uoluptatum copia, tantis illecebris, hominem adoleſcentem, fortunis opibùsq; uigentem, ſenſibus, pene dicam, necem attuliſſe; nec modo nulla admiſſi criminis infamia, ſed ne cogitati quidem flagraſſe? Pietate uero aduerſus Deum, cui iunctæ ſunt reliquæ uirtutes, quaq; omnis ſanctitas & religio continetur, quanta fuit? Perſuaſum enim habuit excellentis ingenij iuuenis & ad honeſtatem natus, nihil non optabile conſecuturũ eſſe eũ, qui excelsũ illud præſtãtiſſimæ mentis numen, ut dominũ timeret: ut Deum pie & caſte ueneraretur: ut in parente, omnia uitæ præſidia conſtitueret. Quid uero de illius in omnes liberalitate, & ad beneficia conferenda, animi propenſione dicam? Cum enim didiciſſet, hominem hominis cauſa natum eſſe, nihilq; diuinius, quam

de mul-

de multis bene mereri, omnem curam adhibuit, nullum laborem recuſauit, quo indigentibus opera & conſilio benigne faceret; non tam ut ſuo ſibi beneficio hominum ſtudia animosq; adiungeret, quod tamen obtinuit, quam ut eam laudem quæ primum diuinæ benignitatis, deinde bonorum eſt propria, ſequeretur. His ergo, his inquam ſcalis, ad ſummum gradum dignitatis aſcendit, eamq; dignitatem iiſdem artibus retinuit, quibus parauit. Tantum enim abfuit, ut inſtitutum illorum ſecutus ſit, qui ſtudium officioſi hominis ad tempus nauant, pietatemq; tantisſper & æquitatem colunt, dum id quod concupierint aſſequantur; eo potiti, ſtudia illa deponant; ut etiam tum uiſus ſit intelligere, quantum Deo deberet, quantumq; ex ſuſcepta perſona officii ſuſtineret. Itaque, quo ſe arctiori etiam uinculo religionis aſtringeret, totumq; Deo immortali deuoueret, ſacris initiari uoluit: & ad promerendum de omnibus, multo alacrior, quam antea & paratior extitit. Teſtis, ut ſingulos homines prætercam, latium eſt; quod illius fidei & gubernationi commendatum, magnas ſæpe alleuationes & utilitates ſenſit: teſtis etiam Roma, cui auxilium imploranti, acrem ſe adiutorem ac defenſorem præbuit: teſtes deniq; duæ ampliſſimæ Canonicorum familiæ, Diui Seruatoris, & Lateranenſium, quarum ille patrocinio ſuſcepto, non modo ſaluti fortunisq; ſuccurrit, ſed etiam dignitati. Quibus ille rebus, tantum opinionis apud omnes, tantum auctoritatis adeptus eſt, ut ad ſummum dignitatis & gloriæ, nihil pene deeſſet, & ſenectus in eo aut maturior ætas, haud ſane magnopere deſideraretur. Hic ego conſulto prætereo, quam graues in ſenatu ſententias, quam ornatas diceret: quam etiam conſultus prudenter reſponderet: hoc inquam & multa alia non minori admiratione digna, miſſa facio: illud tacitum mihi relinquendum non puto, quod eſt, ut mihi uidetur, perpetuis ſermonibus, prædicatione, literis, æternitati conſecrandum: quod cum in Decretis Gratiani, hominis alioqui doctisſimi, & de hominum genere cum primis optime meriti, quædam tamen ineſſent, quæ uel ætatis illius culpa, minus recte dicta, (non dum enim plane diſputata, & explicata erant) uel certe

obſcurius tradita, imperitis errandi occaſionem, malitioſis ac uerſutis oblatrandi, plurimum loci darent: ipſeq; Pontifex, cum illorum imprudentiæ, tum horum amentiæ & furori materiam uellet præcipere: ei curæ & procurationi, hunc unum præfecit, eiuſq; poteſtatem eſſe uoluit, de ſcriptis tanti uiri arbitrandi. Hoc uno Pontificis Maximi, hominis nec imperiti nec hebetis iudicio, non omnium laborum ſuorum ac uigiliarum, fructum uel maximum cepit? Quid ei obſecro ad gloriam, prolixior dies attuliſſet? Sed eo progreſſa iam eſt oratio mea, quo deſcendere, etiam atq; etiam abhorrebat; ut funeſtum nobis boniſq; omnibus, extremum uitæ, quaſi actum proſequatur; qui quamquam ab eo honeſtiſſime & ſanctiſſime confectus eſt, potuit ne glorioſius occumbere, quam in Chriſti negotio? tamen retractando, neſcio quo pacto dolorem, a quo mens aberrationem quærebat, maiorem efficit. Verum quid agam? Aut hoc non ſuſcipiendum officij munus fuit; aut ad exitum perducendum. Sequemur ergo reliqua. Quid eſt poſtea conſecutum? Pontifex urbis huius creatus eſt, curaq; curæ addita. Qua tamen ille ſuſcepta, ut erat inſigni pietate & religione præditus, ſecum ipſe reputans, quid oneris ſuſtineret, quid leges ſacroſanctæ, quas ille in ſinu ferebat nec diſcingebatur decernerēt: cum Romæ commodiſſime poſſet eſſe, apud Pontificem Maximum, totumq; ſenatum gratioſus: in multa laude & gloria apud omnes: tamē his omnibus contemptis atq; poſthabitis, huc animum adiecit, ut uel maximo rerum ſuarum uitæq; etiam incommodo, ad populos ſuæ fidei creditos & cōmendatos adiret, ſuamq; eccleſiam nouis & ſalutaribus legibus conſtitueret, officioq; beneuolentiſſimi paſtoris præſens fungeretur. Ad quam rem, præter eos uiros quos hic habebat, alios quoq; Roma ſecum adduxit, in omni diſciplinarum ac pietatis laude præſtantes: quorum opera & in hoc, & in conſuetudine quotidiana, priuatiſq; ſuis ſtudijs uteretur. Habebat hoc ille omnino, ut cum a negotijs uacaret, cum ijs uiris de rebus tum diuinis, & quibus beatæ uitæ ratio continetur, tum de natura & moribus, deq; ceteris artibus ingenuis, ſermones conferret. Hac igitur mente, hoc conſilio Roma proficiſcitur:

quam

Digitized by Google

Quamquam mouebatur etiam iuuenis ſuorum amantiſſimus, pio quodam deſiderio, bonorum omnium animis inſito atq; infixo, ut antiquiſſimã parentem patriam, ſolumq; hoc ſanctiſſimum, ubi in lucem editus, primum pene ſpiritum hauſit, longo interuallo reuiſeret, ſuiq; uiciſſim copiam illi faceret; &, ſiqua ratione poſſet, cura, conſilio, auctoritate prodeſſet: Sed o rem acerbam & lugubrem, & cum Chriſtianæ Reip. tum tibi Mantua longa lamentatione fletuq; dolendam: Vix te illic a limine ſalutauerat, ſeq; tibi oſtenderat, tuq; contra, tam grati principis aſpectu, oculos animosq; recreaueras, cum ille neſcio quo fato, quod ego tamen a Dei uoluntate non ſeparo; a rebus ſibi cariſſimis, ab aris atq; focis, uix animaduertentibus nobis abreptus eſt: abreptus autem hac fere ratione. Habebat iter Florẽtiã, Hetruſcorũ urbẽ maximã et potẽtiſſimã, quo partim excellẽtiſſimi tui Ducis, patrim ſuo fratrũq; illuſtriſſ. qui tũ Ferrariæ, eiuſdẽ officij gratia diſtinebãtur nomine, tantæ Reginæ eiuſdemq; affinis, & tanti Principis, iam Gonzagarum familiæ connubio illo coniuncti nuptias, ſua præſentia honeſtaret: cum ecce tibi, literis de morte Romani Pontificis acceptis, Romã uocatus eſt. Qui quãquã ita conſternatus eſſet dolore, uix ut ſe miſere ſuſtentaret, & ex laſſitudine illa quã huc iter faciens contraxerat, non plane releuaſſet: tamẽ quid tempus, quid rei magnitudo poſtularet, intelligens, temperare ſibi non potuit, quin illuc maximis itineribus, uia etiã inepta, lutulenta ac præcipiti, protinus aduolaret. Itaq; in ipſo curſu, homo infirma ualetudine, quam ipſe utinam cognouiſſet: quid enim tantum erat in uno atq; altero die? ſed eam animi quadam ui & elatione, non agnoſcens, dum nihil ſibi parcit, urbem quidem quamprimum ingreſſus eſt, ſed ita ex itinere languens, ita grauiter affectus, ut paucis poſt diebus uita perfunctus ſit: nobisq; uisq; omnibus, nihil tale ſuſpicãtibus, ſtuporem primum, tam nouo tamq; inſperato nuntio perculſis atq; proſtratis, tũ mœrorẽ & rerum meliorum deſperationem attulit. O rerum humanarum inconſtantiam: o cõſilia fluxa atq; inania: rurſum, hei mihi, cogor ingemiſcere: iuuenem fortuna, opibus, gloria, natalium ſplendore, Regum



Digitized by Google

*atq; Imperatorum affinitatibus florentem, indole præterea et ſpe plus quam humana: &, ſi longiorem uitam ſortitus eſſet, cum quouis ſui ordinis, ne te quidem excipio Hercules Cardinalis ampliſſime: neque enim uereor, ne tu hoc, in tuam contumeliam uertas, cui ſemper omnia uoluiſti: iuuenem inquam cum quouis ex ſuo ordine conferendum; repentino quaſi turbine quod mihi ipſe perſuadere uix poſſum, inſtar nubis & caliginis diſiectum, actum, conſumptum? O tua gaudia Mantua præpoſtera, quibus tum complebaris, cum diu expectatũ atq; optatum, præſentem denique, uti numen quoddam intuebaris: & recentibus adhuc duorum tibi cariſſimorum antiſtitum funeribus fracta & debilitata, in huius unius ſpiritu conquieſcebas: quam hæc breui tempore ad luctus & lacrymas reciderunt? Sed plura lamentari deſinamus, ne meum ueſtrumq; dolorem, commemorando augeam: aut, ſi iam ad ſummum acerbitatis addi nihil poteſt, alam certe ac foueam: Atq; haud ſcio an hæc mea querela, ſiquis ſenſus eſt mortuis humanarũ rerum, parum illi grata ſit, certe non neceſſaria: qui dum eſt apud nos interq; mortales uerſatus, ita uitam inſtituit, eamq; ipſam cum Deo placuit, ita naturæ reddidit, ut dubitandum non ſit, quin illam ſummæ iucunditatis hereditatem creuerit, quæ ijs ab immortali Deo promiſſa eſt, qui ſe pro filijs geſſerint, & debitam illi, ueluti parenti optimo, pietatem præſtiterint. cuius ſane rei ſigna, cum per omne uitæ ſpacium, tum hoc extremo humanarum rerum articulo, non obſcura dedit. mira enim quædam, qui affuerunt referunt; nempe illum, poſt ſalutaris illius panis ac uitalis eſum, cuius præſenti numine, humana imbecillitas, & contra uim malorum ſpirituum munitior; & ad iter ad domũ illam ſempiternam opeſq; cæleſtes, firmior ac paratior redditur: graui quadam oratione & quali par eſt uti eum, qui ab omni iã cupiditate, ſed etiam corporis propemodum cõcretione ſolutus, omnes animi partes uireſq; collegerit, eoq; in Deũ conuerſo atq; intento ſit; Patres conſcriptos, qui frequentes aderant, ad cõcordiam & pacem cohortatum fuiſſe: ut priuatis ſtudijs, quæ ſtatum mentis conuellunt, in ſẽpiternum depoſitis ac repudiatis, unam Chriſti Rẽp. capeſſerent, nihilq; haberent propoſitum,*

nisi

niſi ut eum gubernatorem illi præficerent, qui eſſet ſcientiſſimus, quiq; uectorū hoc eſt Chriſtiani populi ſalute, cuncta poſteriora duceret: ex ſe diſcerent, quantum ſpei in mundi huius blandimentis eſſet ponendum: mox omnes ante tribunal Chriſti, cauſam dicturos: orare autem ſe eos, ſiqua offenſa in quemquā, ut in opinionū diſſenſione fit, a ſe profecta eſſet, eam ut ſibi non modo condonarent, ſed ueniam quoque a Deo ſuis precibus impetrarent: ſe quidem, tametſi conſcientia illa non minimum ſuſtentaretur, quod ſemper egregie de Rep. ſenſiſſet, ergaq; omnes optime animatus fuiſſet; plurimum tamen ſpei, atq; adeo ſpem omnem, in Dei miſericordia collocare. His dictis, extremoq; liquore et ſalutari perunctum, atq; ab optimo et iam tum re ipſa, ut mox etiam nomine ſanctiſſimo uiro Cardinali Alexandrino, nunc Domino & Papa noſtro, itemq; homine innocentiſſimo & doctiſſimo, Card. Sirleto; ſummo rerū omniū conditori ac domino, anima commendata: non tam mortuum eſſe, quā de domo in domū cōmigraſſe. Obijt autem Romæ, hoc eſt, in cōmuni orbis terrarū domicilio, ſedeq; & arce Chriſtiani imperij: ad hæc in corona ſacroſancti illius Senatus, quo nihil eſt antiquius in terris, nec uero illuſtrius: & quod plu ris eſt quam omnia, dum ipſius Chriſti rem ageret: cui etiam ut adeſſet, certum pene periculū (nam grauiter ægrotabat) ſubire maluit, quam abeſſe eum poſſet, ſpe certa ſalutis propoſita. Qui igitur uitā tam honeſta ratione traduxerit, & cum opus fuit profuderit, hunc quiſquā lugendū putet? Equidem illū arbitror, ſi nos alloqui poſſet, hunc fere in modū acturum. Quid eſt propinqui atq; amici, cur mea cauſa in ſquallore ac mærore iaceatis? Eorum mors deflenda eſt, quorum cum uita, & exiſtimatio, & ſpes miſerationis diuinæ extincta eſt. Ego quoad ſpiritū duxi, nec quid de me homines ſenſuri eſſent unquam neglexi, & ut Deo Seruatori noſtro eſſē non infenſus, etiā atq; etiam dedi operā. Nam relictum mihi a maioribus dignitatis patrimonium, induſtria & labore ſeruaui, nequaquam eos imitatus, qui ſibi plus iuſto, nobilitatis nomine blandientes, omne officium deſerunt, nec quid labis claritati ſui generis aſpergant, admodū curant. Porro autē quæ Chri-

ſtiani

*ſtiani hominis partes ſunt, eas ego, Chriſti Ser uatoris noſtri gratia opeq; ſubnixus, ſic exequi pro uirili mea conatus ſum, ut a conſpectu omnia uidentis & contemplantis Dei, prorſus ne reyciendus explodendusq; niderer. Quam ob rem, bono animo eſſe uos iubeo, lacrymasq; iſtas quibus conficimini, in ſummi Dei laudẽ, eiusq; bonitatis prædicationẽ conuertere: illudq; meminiſſe, quo nullũ eſt perfugiũ nec melius nec paratius; nihil ab eo niſi optima ratione, optimoq; cõſilio, et noſtris rationibus conſulente, fieri. Hæc inquã fortaſſe ille: quæ cũ ita ſint, certe ueriſimilia ſint, ualde cõſolari nos debent, planeq; ab angoribus abducere: illud agentes potius, quod eſt pij amiciq; animi; ut ſi forte ille, ut eſt mortalium natura infirma, mundi huius blanditijs emollitus, a uera non nunquã ſolidaq; ſalutis ratione, ad corporis obſequium declinauit, diuinũq; numen ob id, habet adhuc infenſius: noſtris ad ipſum præcibus, quod hodie factum eſt, placatum amicumq; reddamus: ut omni peccatorũ labe, ſiqua reſidet adhuc, expiatus, & purgatus, ſempiternis gaudijs ac iucunditatibus perfruatur.*

## VINCENTIO FERRANTIS .F. GONZAGAE, MAGISTRO EQVITVM *Hieroſolymitanorum Baruli.*

Leonardus Malaſpina.

S. P. D.

CONSVETVDO verius, quam, ut hodie vulgo appellant ſeruitus, quæ mihi fuit cum humaniſſimo fratre tuo Franciſco, Cardinali Clariſſimo, ita me, ex illius ingenij ſuauitate, de tuo fratrumq; tuorum, iudicium faciente, familiæ veſtræ deuinxit, ut non minus, pene dicam, de veſtra omnium calamitate, quam de morte illius, quæ mihi acerbiſſima accidit, commotus fuerim. Et Herculè pro eo ac debueram, literas ad uos iam tum ſcripſiſſem, quis aliqua ex parte, luctum veſtrum leuarem; niſi mihi doloris magnitudo, omnes pene mentis partes ademiſſet. Itaq. quod fuit reliquum, ad germanum tuum Cæſarem, alti & excelſi animi virum, eam orationem miſi, quam in ipſius patroni mei, ſupremi diei celebritate habui: Ad te do eas literas, quibus ab hinc triennium, eum ipſum Cardinalē, de Herculis patrui veſtri, melliſſæq; ſororis Hippolytæ funere, afflictum ac iacentem excitare, & ad animi conſtantiam erigere conabar. Quas ego, quod non diſſimili argumento videbantur, & a tuis etiam rationibus non abhorrerent; cum concione illa imprimendas, foraſq: dandas curaui. Spero autem te princeps Illuſtriſſime atq. humaniſſime, non parum ſolatij, ex earum lectione reportaturum. Magna vero in ſpe ſum, non ita multo poſt, alterius generis epiſtolas, ad utrunq. miſurum. Tu modo valetudini tuæ inſerui, atq. ad ea ſtudia, quæ inſtituiſti, magno animo hilariq; incumbe. Vale.

# ILLVSTRISSIMO PRINCIPI ET CARD. Ampliſſimo Franciſco Gonzagæ.

Leonardus Malaſpina.

S. P. D.

CVM rumoris neſcio quid obortum eſſet, de obitu optimi atq; clariſſimi principis patrui tui; eiq; ego, uel quod tum parũ certo auctore ſparſus eſſe ferebatur, uel quòd omen deteſtabar, falsumq;, ut fit, eſſe cupiebam, non temere fidem haberem: & tamen, quia ſciebam multa homini quotidie, præter naturam præterq; fatum, accidere poſſe, non plane uacuus cura ac ſolicitudine eſſem: ecce tibi nuntius (o rem acerbam & miſeram) certo illum deceſiſſe, repentina quadam ui morbi, atq; ea uel medicis occulta atq; ignota ſublatum. Hic ego, quanto dolore affectus ſim, quid attinet dicere? Nam & Chriſtianæ Reip. uicem dolebam, quæ ſuo alieniſſimo tempore uirum amiſiſſet, cuius ſæpe uirtute excitata fuiſſet, nunc etiam humeris propemodũ ſuſtineretur: & pro mea in te obſeruantia, tuo etiam nomine cõmouebar: quem ingenio nec tardo nec rude præditum, quantã plagam acceperis cogitantem, ſic dolere non dubitabã: ut preter te, conſolari nemo te poſſet. Et ſane uidebam te iuſtas habere cauſas doloris: tum quòd ſũme dignitatis atq; honoris faſces, qui ei, omniũ iudicio ac prædicatione, ſi Pio Pontifici noſtro (quem uelim Deus incolumem ac beatiſſimũ, diu nobis tueatur ac ſeruet) ſuperſtes fuiſſet, adiudicabantur; ij, e familiæ ueſtræ manibus erepti hoc tempore quodammodo uiderentur: quæ quamquam his quidem non eget, multorum ac maximorum Ducum & Imperatorũ uirtute atq; imaginibus clara atq; illuſtris: tamen, ſiquid ad cumulũ addi poſſet, ab eo certe ſperabatur: tum quòd angi morte ſuorum occulta quadam ui & cognatione ſanguinis, naturale eſt, atq; ita mortalium ſenſibus atq; animis inſitum & infixum, ut ne hominis quidem, ſed immanis importunæq; belluæ, aut potius ſtipitis loco habeam, qui non condoleat. Hoc ego cũ mente agitarem, deq; meo ſenſu, qui cõmuniter do-

leam

*leam cũm bonis, præter cultum erga te meum, præcipui nihil ha beam; tui iudicium facerẽ: uiſum eſt officio meo, qui te, pro tua humanitate, ita ut dixi, peramanter obſeruem, alienum non eſſe, ut conſolandi tui partes ſuſciperem: aut ſi hæ, pro tua ſapientia, minus eſſent, ut ſpero, neceſſariæ; certe uoluntatis erga te meæ utiq; teſtes eſſent. Neq; enim is ſum, qui eorum opinionem probem, qui indolentiam uſq; adeo laudibus extollant, ut ſapientis nomine indignum putent, in quo, ea radices non egerit. Moderati quidem ab Academia atq; Licæo uiri, non modo id fieri poſſe negant, ſed pernicioſum quoq; fore prædicant hominũ rationibus, ſi contingeret. tolli enim beneuolẽtiam & charitatem; in quibus, non modo familiarum ſalus, ſed patriæ quoq; ipſius, quæ omnium beneuolentias & charitates complectitur, ſita eſt: Iidem tamen hominis eſſe non putant, mœrendi modum neſcire: & ut nihil dolere, indiciũ immanitatis in animo, ſtuporis in corpore: ita ſupra modũ frãgi & aſflictari, infirmi imbecilliq;, aut potius nullius iudicij argumentum eſſe. Modus ſit igitur in rebus: ut cum humanitati ac pietati ſatisfactum fuerit, quod debetur etiam rationi conſilioq; ſoluatur. ſoluetur autẽ, ſi illud cogitabimus, quod uſu quotidiano didicimus; eſſe nos natura mortali ac diſſolubili; nullũq; repertũ fuiſſe ullo in ſeculo, qui fuerit hac lege ſolutus.*

*Repete memoria ſpaciũ præteriti tẽporis, quo ad potes longiſſime: inuenias fortaſſe uitæ curſũ laxiorẽ, immenſũ non inuenias. Verũ ille ipſe laxior, ſi cum æternitate comparetur, quãtulus eſt obſecro? Nam quod de uno atq; altero traditur ſacrarum literarũ hiſtoria, ij non tam immortalitate donati ſunt, quã certũ ad tempus reſeruati, extremũ & ipſi ſpiritũ reddituri: quos tamen interea princeps ille Deus, ad immortalitatis locum ſuſtulit, quò terrã colendã tradiderit filijs hominũ; ubi non modo æternitas ſperanda nulla eſt, ſed ne longior quidem dies. Ambroſia atq; nectare hoc eſt, beatiſſimo illo diuinæ maieſtatis conſpectu opus ijs fuit, qui in hac terrena mortaliq; natura, tot hominũ ætates uitam ducturi eſſent. Sed quid ego de nobis? Cælũ ipsũ, quo pulchrius in rerũ uniuerſitate conſpici nihil poteſt, oculis colluſtremus: Solem etiam intueamur, ig-*

Digitized by Google

*neſq; reliquos, quos ſidera ac ſtellas uocant: quosq; adeo ſapientiæ ſtudioſi, diuinis mentibus animatos putant: erit tempus illud, quod nec forſan abeſt longius, cum hæc omnia ſimul, temporis momento extinguantur & occidant. Et nos homunculi, ſi Dis placet, ſicui noſtrũ quid humanitus acciderit, indignamur? O ſtultitiam ſingularem. Hoc eſſet forſitan ignoſcendũ, ſi cum uel declinari mors, humana induſtria poſſet, commiſſum negligentia eſſet, ut eam oppeteremus. Nunc, in eo quod nec uitari ulla ratione poteſt, & commune eſt omnium, dolore confici, non amentia eſt? Quid uero ſi hoc melius? Sane uiri quidam præclari in philoſophia ac nobiles, grauiſſimis ac firmisſimis argumentis exemplisq; docuerunt, nihil fore homine miſerabilius, ſi immortalis is eſſet. Quotus enim quisq; eſt hodie, aut etiam fuit aliquando, qui non magnam uitæ partem, exegerit in lacrymis & mærore, infinitis malis & calamitatibus implicatus? An proferri quisquam poteſt ex omni annalium memoria, qui rationes ſuas ſic conſtitutas habuerit, ut non frequenter offenderit, & grauiore aliquo caſu fortunæ, ſæpe uexatus, & non raro euerſus etiam fuerit? Exemplorum omnia plena ſunt: quis ego facilius abſtineo, quòd in re uerſer clariſſima, quotidiano uſu comprehenſa atq; percepta. At non nulli, non ſe mortem defugere, quæ naturæ debetur, quæq; adeo neceſſario oppetenda eſt: ſed uel præproperam, uel eo potisſimũ tempore obitam, cum ſpes optimarum rerum oſtenderetur: hoc dolere aiunt. Quibus ego (faciam prius poſterius) uehementer auctor ſum, ut ad præteritum tempus, quod eſt prudentiæ magiſter animum reuocent: ſecumq; ipſi cogitent ne longius abeant, quàm multa ſibi præter expectationem ceciderint: quàm ſæpe ipſi opinione decepti, inanes ſpes & fallaces exclamauerint. Intelligent profectò, non tantum ponendum eſſe in ſpe reliqui temporis, quantum quidam cupiditate prolapſi, fortaſſe ſtatuunt. Itaq; uir ſummus Ariſtoteles, ſeniores dyſelpidas facit, quòd ſæpe fortunam experti, fallacem reppererint. Rerum euenta in manu Dei ſunt, & ſenſus illius, craſſis occultatus & circunfuſus tenebris, ut eo, nulla ingenij acies penetrare poſſit. Hoc tu proxime, princeps Illuſtriſſime in ipſo tuo, quo de agitur patruo clariſſimo, intelligere potuiſti: qui cum omnium*

ſpe & opinione, certus eſſet Pontifex, nihilq; propius ſit factum: tamen inſcrutabili præpotentis Dei conſilio, cuius nutu atq; arbitrio cuncta gubernantur, cognoſcere homines potuerunt, quàm facile a coniectura iudicioq; aberrent. Quamquã ille quidem ut mihi refertur, nunquam prorſus eo animum intendit, opeſq; ſuas contulit: ſed rei exitum totius, in Deo collocauit: ſatis ſuperq; ea conditione contentus, in quam uocatus eſſet, ampliſſima & honeſtiſſima. At nunc longe inſtructior rebus omnibus atq; paratior erat: fateor ſed tamẽ in ſpe quæ nunq; tã certa atq; explorata fuit, quin fallere nos poſſet. Ne de immatura quidem morte ( ut ne ab eo diſcedam, & ad prius reuertar) queri poſſumus, niſi noſtri temporumq; præſentium potius, quàm eius habere rationem uolumus: quòd tum e uita diſceſſerit, cum uirtus illius ſingularis ac præſtans, magnas utilitates nobis Chriſtianæq; Reip. præbere poſſet. Nam ſi ad exiguum illud uitæ curriculũ, quod natura nobis, ſeu magis Deus circumſcripſit, reſpicias, nec ſane breuem cœli huius uſuram habuiſſe dicas eum, qui annum octauum & quinquageſimum attigerit: & his honoribus ſit uſus, quos qui aſſecutus fuerit, ei mors immatura non ſane poſſit accidere, & quod eſt in magna laude ponendum, iam inde a puero enixe operam dederit, ut ætatem ipſe ſuam anteuerteret & præcurreret. Itaq; in rebus maximis & agendis & cognoſcendis, diu multumq; uerſatus, illud eſt conſecutus, ut ante tempus ſenex, ut ſic dicã, eſſet, nihilq; ei iam nec ad doctrinam longiore uitæ ſpacio, nec ad prudentiam, nec ad gloriam addi poſſe uideretur. Et ſane uitæ ratio laudanda illa eſt; quæ innocentiſſime acta, non quæ longiſſima fuerit. Scite laconicum illud: Viuere atq; mori, neutram in partem ducere: honeſte utrumq; exequi, præclarũ eſſe. Quo in genere, quantus uir ille extiterit, quoquo modo poſſem referrem, niſi res ab eo præclariſſime geſtæ, in memoria hominum hærerent adhuc recentes & gratæ: poſtrema uero hæc eius legatio, pro Chriſtianæ Reip. dignitate ſaluteq; ſuſcepta, fortiter & cõſtanter obita, omniũ ſermone ac laude celebraretur. Potuit ille quidẽ, quo rẽ ad exitũ perduceret gratũq; erga deũ ſedẽq; Apoſtolicã uoluntatis ſpecimẽ atq; iudiciũ, illu

Digitized by Google

ſed e uita diſcedere ullo tempore, honeſtius certe non potuit. Obijt enim in altisſima, ſecundũ Pontificẽ max. poteſtate: in frequentisſimo Epiſcoporũ ſacerdotumq; concilio: loco celeberrimo: in ſuorũ manibus et cõplexu: rebus ſuis optime conſtitutis: mente deniq; & ſenſibus, ad ultimũ uſq; ſpiritum integris: & quod pluris eſt quàm omnia, tum, cum Eccleſiæ catholicæ, atq; adeo ipſius Dei cauſam, contra hoſtes Chriſtiani nominis ageret, acriterq; defenderet: ut dubitandum non ſit, quin ab immortali Deo, in felicisſimũ illud ſempiternũq; requietis & ſummæ uoluptatis ac iucunditatis domicilium uocatus fuerit, quod ijs promiſſũ ſit, qui in hac militia IESVM conſtanter confesſi, debitã ei pietatem preſtiterint, ſpemq; uitæ beatæ in eo poſitam habuerint. Quo, qui miſericordia illius peruenire meruerunt, hos quiſquã lugendos putet & collacrymandos? hos ſpe fruſtratos & deiectos? hos præpropere ereptos? O cæcas mortaliũ mentes, & uere in luto cænoq; cupiditatũ demerſas. Quanto rectius, & Chriſtianæ religioni congruentius exiſtimaremus, ſi ad meliorem mentem conuerſi, diuinæ clementiæ ac munificentiæ gratias ageremus; illoſq; præ ceteris beatisſimos prædicaremus, quibus datum fuiſſet, quod ijs tantũ contingit, quos æquus amauit Deus: ut ex hoc corpore, ut inquit ille, tanquam e uinculis emiſſi, ad cælũ euolaſſent; & immortali gloria, ad quam creati ſumus, æuo ſempiterno perfruerẽtur? Ergo, ne longius faciam, Deũ ipſum, etiam atq; etiam deprecor, ut qui ſua illa bonitatis luce, cuncta perfundit atq; illuſtrat, tenebras quoq, noſtras depellat; mentẽq; illuminet, ut de uita iuxta atq; morte cogitare; atq; utranq; contemnere & amare posſimus, quantũ illi gratũ ſit, & nobis ſalutare.

## AD EVNDEM.

VIX eam epiſtolam complicauerā, qua obitū clariſsimi uiri, & Card. ampliſsimi patrui tui tecū deflebam; cum altero quaſi fulmine percuſſus ſum, ſororē tuam audiens, lectiſsimā & probatiſsimam feminam, tibiq; uiroq; ſuo homini primario, cum formæ tum morum amabilitate cariſsimam; in ipſo ætatis flore deceſsiſſe. Neq; tamen dolui, quòd ea res ad me, niſi communi quadam coniunctione naturæ, pertineret; ſed tua cauſa angebar: quem ingenio miti atq; leni præditum, hac altera plaga accepta, non dubitabam ita affectū eſſe, ut dolorem ferre uix poſſes. Itaq; ego, qui aliquam tamen ſolandi tui rationem in patruo iniſſem, nunc cum idem officij in ſorore præſtare uellem, calamitatis iſtius atrocitate deterritus, nihil reperiebam: idemq; mihi contingere ſentiebā quòd medicis ſolet, cum periculoſe ægrotantem, quem illi curā dum ſuſceperint, grauior præterea morbus aliquis, deimprouiſo iuuaſerit, ut implicatus hærerem. Nam quæ tum remedia adhibueram, ea mihi leuiora uidebātur, quam quæ duplicatum malum poſſent expellere. Et tamen, quoniā ut dici ſolet, dum anima eſt, ſpes eſt; uiſum eſt non eſſe committendū, ſiqua ratione leuari poſſes, quò minus experirer & tentarem omnia. Qua in re, animos mihi illud addidit, quòd rem mihi eſſe ſciebā cum adoleſcente, non ſolum ſanctiſsima diſciplina, ſed natura quoq; ipſa, pio ac religioſo; qui, quanuis ut frater, naturæ cognatione, ſenſum doloris caperet, tamen, cum ex Euangelio & didiciſſet & crederet, ne ſolium quidem, ſuper terram, ſine rerum omnium parentis uoluntate cadere, facile acquieſceret: eamq; cunctis amœnitatibus, ipſaq; etiam uita, potiorē haberet. Ergo multæ cum ſint lugendi cauſæ graues & acerbæ, illa, ut mea fert opinio, uix eſt conſolabilis, quod adoleſcens, & tum, cum ſenſum uitæ huius, ut ſic dicam, habere cœpiſſet, extincta ſit. Anus enim et exactæ iam ætatis ſi occidant, quòd naturæ ſatisfeciſſe ceſsiſſeq; potius uita, quā ea priuatæ uidean

Digitized by Google

*præſcriptus eſt, magnā partē confeciſſe uidentur; minus mouent nos, minus doloris inurunt: Illæ hominū mentes ad miſericordiā alliciunt, ſuos etiā ad lacrymas & gemitus, quæ florentes ætate, e uita demigrarint. Neq; enim demigraſſe, ſed ui ereptæ creduntur, & haud procul a carceribus, quaſi manu reprehenſæ. Quæ etiā grauiore morſu nos uulnerāt, ſi ornamēta accedant illa: quæ annos p ſe gratos et amabiles, gratiores amabilioresq; faciunt, generis ſplendor & claritas; formæ dignitas: ingenij lumē; & uirtutis preſtātia: quæ omnia in ſorore tua, naturali quadā indole ueſtræ familiæ, eximia et diuina fuiſſe cōſtat, omniū conſenſu & prædicatione teſtata. Verū hæc mihi probe exiſtimāti (nā hinc initium faciam) non tam quia interierint cū illa, dolenda uidentur, quā gratia diuino numini, cui bona omnia accepta referenda ſunt, habenda, quod eius conceſſu & munere, donis his amplisſimis, dū uixit, ornata fuerit, & in eorū quaſi poſſesſione, ad extremū ſpiritum retenta. At potuit per ætatem his frui diutius. Quid ni? ſed quis præſtet expediſſe? futurorum incerta exiſtimatio eſt, & euenta prorſus obſcura, eaq; in poteſtate præpotentis Dei poſita: cuius ſenſum abditum & reconditum, quis in omni æternitate cognouit? aut quis eſt in conſilium ab eo unquam adhibitus? Vanæ ſunt cogitationes hominum, & ſpes fallaces. Muliebris formæ pulchritudo, quæ per ſe certe diuturna eſſe non ſolet, quam leui ſæpe momento labefactatur? Quot uero, cum inſtitutione, tum natura bonos & moderatos, longior dies deprauauit, ſuiq; diſſimiles effecit? Quanto fuit ſatius, dum ætas adhuc integra eſſet, mensq; incorrupta & caſta, ex hac uita migraſſe? Vir diuina quadam mente præditus Hippocrates, habitum athletarum pleniorem, & ad ſummum perductum, ſolui iubet: quod, cum natura comparatum ſit, ut nec conſiſtere posſit, nec iam in melius progredi; neceſſario decidat in deterius. Quod, quamquam in animo quidem, qui ſe melior in dies, auctore Deo, posſit fieri, locum non habeat, tamen, quotus quiſq; eſt, paulum ætate progreſſus, cui tantum boni contingat? & qui, non uel libidinum æſtu abreptus, uel*

*bono-*

honorum pecuniæq; cupiditate obcæcatus, e mentis etiam poſſeſſione deijcitur? Omnino mihi uita longior, non tam in bonis ponenda, quam non nulli cenſent, uidetur. Quid ſi plerunq; etiam in malis? Omitto enim quot incommoda ſenectutem ſequantur: quod morbus ſit ipſa quidam: quod homo diu uiuendo, multa quæ non uult, uideat: quæ adeo nota ſunt, ut etiam prouerbio ferantur: quantum illud eſt, quod hac ſummi Dei atq; parentis optimi benignitate abutimur? & quod ille nobis prolixioris uitæ, ut reſipiſcamus indulxit, praua conſuetudine imbuti, ſæpius in noſtram ipſorum perniciem trahimus, facinus facinore cumulantes? Id quod ipſemet parens noſter ac dominus, ſaluti noſtræ conſulens, certe præuidit ac præmuniuit: cum laxiſſimam diem initio homini datam, poſtea contraxit. Nam cum procliuem illum ad malum eſſe uideret omni tempore, & quo longiorem uitam duceret, hoc ſe pluribus uitijs inquinare; hoc ſe longius a ſalute, hoc eſt, a Deo abducere; annos illius in anguſtum deduxit; tantumq; ſpacij dedit, quantum non poſſimus ac teterrimus poſſit euadere: quantum admonitus breuitate temporis mortalitatis ſuæ, ſpes ſuas, ſuorumq; optata bonorum, in Deo collocaret: ut iam præclare cum his actum eſſe intelligamus, quibus datum eſt, ut ante ex hac ſcelerum ſentina, ludoq; impuritatum tollātur, quam falſis ſuauitatibus deliniti, malitia corrumpantur, atq; in præceps ruant. Itaq; non nulli ueterum philophorum, celebre illud Sileni reſponſum, nempe, Optimum eſſe non naſci: proximum, quamprimum ad mortem ire, tantopere laudarunt: non plane uerum illud quidem, cum naſci bonum ducamus, altius quiddam aliud, diuiniusq; ſpectantes; ſed tamē qua de diſceſſu e uita, non alienum. Verius Menander: Quem Dij diligūt, hic iuuenis ſolet mori. Et uero, ſi cōſtituerimus, quod eſt ſacratiſſimarū literarum monumētis teſtatū, eſſe nos a Deo creatos, nō ut in terra, uitæ noſtræ quaſi tabernaculū collocaremus; ſed ut innocēter in ea peregrinātes, ad æternū illud ſūmæ iocunditatis domiciliū eius, properaremus, quod ijs eſt promiſsū, qui beatæ uitæ rationē inde petendā ducerēt, unde uiuēdi princi

*tam proſperi flatus aſpirarint, ut eo ante peruecti fuerint, quàm contrarios uentos, hoc eſt, uitiorum impedimenta ſentirent, inq; ſcelerũ ſyrtes ſaxaq; impingerentur. Quare, ſi in hac rerũ meditatione uerſari, eiq; conſilio ac ratione parere uoluerimus, cuius nos uniuerſi conditor et opifex, participes eſſe uoluit: quæ & in ſecundis rebus & aduerſis, modum ſcit retinere, & recordationes dare humanarum rerum: ſi uocem deniq; illã ſalutarem, plenamq; boni ſolatÿ recordari, ne illorum ſopore contriſtemur, quorum a morte excitationẽ ſperemus: rationẽ aliquã inire poterimus finiendi luctus. Quo magis te hortor ac moneo Princeps Illuſtriß. ( hoc ut audeam, & mea in te obſeruantia, & ætas facit) ut uelut generoſus athleta, fortiter atq; inuicto animo plagam excipias, nec uno atq; altero ictu frangaris aut ſuccumbas, maximis in rebus & ſuſcipiendis & ſuſtinendis exercitatus: illud fixũ, ratũmq; & ſtabile in animo tenens, præſtantisſimæ illius mentis adminiſtrationẽ, etiã ſi occultæ ſint cauſæ, tamen non niſi ſumma ſapientia, ſũmo etiã in nos amore, comparatã: eſſeq; eam nobis magna potius ueneratione ſuſpiciendã, quã curioſe indagandã. Vnus enim Deus moderandi & gubernandi princeps & architectus, quid uniuerſæ naturæ, quid ſingulorũ rationibus conducat, optime callet: cui leges imponere, non ab eo poſitis obedire, cum eminentis audaciæ atq; impietatis, tũ inſignis amentiæ & furoris eſt. Nos ergo humili cogitatu, imperata illius accipiamus; uoluntatiq; libentes ſubÿciamur: cui quis reſiſtat tamen? non de hac exigua, ſed iam de illa ſempiterna uita cogitantes. Eũ deprecemur tantummodo, ut qui in re ſibi omniũ carisſima prolixe & largiter liberalis erga nos fuit, cum unigenitum filium ſuum, tradidit pro nobis in hanc humanã infirmitatem & mortem, nos etiã pro filÿs diligat; paternamq; erga nos capiat uoluntatem, et heredes faciat cæleſtium omnium ſuorum immortaliumq; bonorum. Vale.*

*De Illuſtrisſimi & Eccellentiß. Ducis Mantuæ. Et R. D. Vic. Ac R. P. Inquiſitoris Licentia.*